DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
DE
HYDROMETRA,

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
DD. PROFESSORUM
PRO
Doctoris Medicinae et Chirurgiae Laurea,
SUMMISQUE
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME OBTINENDIS
in celeberrima
CAES. REG. MILITARI SCIENTIARUM ACADEMIA
MEDICO-CHIRURGICA JOSEPHINA
PUBLICAE DISQUISITIONI
SUBMITTIT

Rudolphus, Godofredus Vitsch nob. de Vitschenthall,
Medicus castrensis,
Austriacus Viennensis.

In theses adnexas disputabitur in Aedibus Academiae Josephinae
die mensis Novembris 1838.

VINDOBONAE.
TYPIS CAROLI UEBERREUTER.

ADMODUM REVERENDO

DOMINO, DOMINO

FRANCISC. XAV. BERGER,

PAROCHO WARINGENSI.

VIRO

HUMANITATE, BENEVOLENTIA, AMICITIA

INSIGNI ET

SUMMO LITERARUM AESTUMATORI

PRIMOS HOSCE

STUDII ACADEMICI FRUCTUS

IN

PUBLICUM VENERATIONIS SUMMAE

SPECIMEN

SACRAS VULT ET DEDICAT

devinctissimus

Auctor.

Denominatio et definitio morbi.

§. 1.

Hydropem uteri (Hydrometra, Gebärmutterwassersucht) illum designamus uteri morbum, in quo accumulatio liquidi magis, minusve fluidioris aut libere in cavo uteri, aut in vesica una, aut in vesiculis majoris, minorisve ambitus et quantitatis, aut in tela cellulosa parenchymatis uteri contingit.

§. 2.

Originem si observamus non difficile est intellectu, hydropem uteri esse 1. nunc idiopaticum, nunc symptomaticum, 2. quoad vitae periodum vel hydrometram extra graviditatem vel gravidarum, 3. quoad indolem fluidi morbose formati, nunc esse verum nunc spurium; verum iterum aut serosum aut lymphaticum; spurium aut cruentum aut purulentum occurrere, 4. quoad sedem denique aut esse α. aut asciticum (Hydrometra ascitica, independens) β. cellulosum (oedema uteri, hydrops uteri parenchymatosa, hydrometra cellularis, oedematosa, parenchymatosa, sceroma uteri aquosa) γ. aut hydaticum (Hydrometra hydatica, cystica, vesicularis).

§. 3.

Nonnulli medicorum recentium hydrometram hydaticam ex hydropium serie eliminari malint opinantes: hancce semper esse foecundationis, atque ovuli humani degenerationis sequelam; et sine hisce conditionibus, foecundatione praegressa nimirum et germinis humani in cavo uteri deformatione, nunquam hydatidem formari posse, experientiae sese suffulcientes,

hydrometram hydaticam nunquam inveniri in feminis impuberibus aut sterilibus aut post annos clymactericos, quare huncce statum morbosum molae formationi adnumerant.

Symptomatologia.

§. 4.

Quum symptomata hydrometrae tam varia sint juxta vitae periodum, et juxta sedem, hinc symptomata hydrometrae extra gravidatem et gravidarum, parenchymatosae, asciticae et hydaticae singulariter enumerare audeo.

I. Symptomata hydrometrae extra graviditatem.

§. 5.

In hac hydrometrae specie fluidum est: aut
A. in cavo uteri libere accumulatum, aut
B. in Parenchymate uteri secretum, aut
C. in cavo uteri hydatice formatum.

A. Symptomata hydrometrae asciticae extra graviditatem.

§. 6.

Prodromi hujus morbi ab aegris, quum lente et leniter incedant, raro aestimantur et consistunt in inamoena, periodice apparente, intrante, premente sensatione in regione lumbali et ossis sacri, quae sub incremento morbi in dolorem ab regione lumbali ad symphysim ossium pubium sese propagantem, trahentem transit.

§. 7.

Cetera magis, minusve symptomata characteristica sunt.

Gravitas pedum, menstruatio silens; hujus locum

supplens fluor albus, extensio uteri in dies crescens, quae formam uteri sub attactu aemulans primo in regione symphisis ossium pubium incipit, et sese usque ad regionem umbilicalem imo hypogastricam extendit, sub attactu frigiuscula apparet et oculenter non solum sensui aegrae, sed et medico inspicienti fluctuationem ostendit. Aegra sentit in toto abdominis ambitu singulare frigus, quod ex utero exhalari ipsi videtur; et inclinationem uteri in latus istud, cui incumbit. In abdomine apparet sensus gravedinis ob pressionem, quam arteriae majores et nervi exinde patiuntur causatus; ita quidem, ut saepae aegrae uterus prolabi videatur, qui sensus eo major et intensior fit, quo minus fluidi, cujus quantitas ab drachmis, usque ad 10 imo 100 ℔ nonnunquam augetur, effluit. In summo morbi gradu intumescunt pedes et crura, quae intumescentia in statu erecto augetur, post incubitum evanescit. Adest quoque nisus ad urinam et sedes deponendas praesertim in statu erecto.

§. 8.

Effluxui, semper locum habenti, mox serosi, pellucidi, mox seroso lymphatici, mox gelatinosi, mox cruenti aut purulenti fluidi praecedunt saepe nulli prodromi, saepius magni momenti, ordinarie sequentes: Spasmi tonici aut clonici, dolores, istis ad partum non dissimiles, a regione lumbali et ossis sacri ad symphysim ossium pubium sese propagantes, trahentes, qui vero post effluxum fluidi emeliorantur, qui dolores exinde palam fiunt, quod uterus ad contractionem irritatus sub doloris supra descripti forma sese contrahat, et fluidum expellat, quo facto, necessarie irritatio ad contractionem, hinc dolores, silent.

§. 9.

Sensus communis ab initio aegrae minus turbata adparet; adspectus, appetitus, reproductio, somnus,

respiratio, urinae et alvi se- et excretio vix ullam ostendit anomaliam, ast, quo magis incrementum morbi adparet, eo magis turbationes et sensus molesti intrant, qui partim ex pressione uteri mechanica, partim ex effectu ejus secundario et influxu in reproductionem ipsam causantur.

Hi sensus molesti sunt: Tensio magna et sensus pressionis in abdomine, in regione hypochondriaca lumbali et ossis sacri, respiratio anxia, brevis, citata; asthma, pulsus inaequalis, intermittens, digestionis irregularitates, flatulentia, status pituitosus, nausea, vomituritiones, vomitus ipse, tympanitis, depositio aut excrementorum foetentium, aut rara, aut nulla, aut diarrhoica multis sub doloribus colicae similibus, spasmi in abdomine, tenesmus, spasmi vesicae, stranguria, ischuria, aut dissuria, depositio urinae turbidae, crassae, jumentosae, pedum intumescentia, facies collapsa, cachectica, livida, demum emaciatio universalis, febris hectica cum suis symptomatibus, summa virium dejectio, diarrhoeae et sudores colliquativi, quibus demum aegrota succumbit.

§. 10.

Exploratione interna sequentia inveniuntur symptomata: Uterus adparet gravis, extensus, ast non multum super symphysim ossium pubium elevatus, collum uteri tenue, convexum, uterus sensum frigoris sub attactu relinquens, magis minusve ad unum latus inclinatus, portio vaginalis longior et mollior, externum uteri orificium nunc apertum rotundum, nunc clausum et fissum, in casu priori invenimus orificium materia mucosa impletum, labia orificii uteri non tumescentes et quoad attactum frigida. Sub morbi incremento apparet portio vaginalis tensior, extensa; imo fluctuans.

B. Symptomata hydrometrae parenchymatosae extra graviditatem.

§. 11.

Praeter menstruationis defectum et fluoris albi menstruationem supplentis adparitionem, et fluidi effluxum symptomata sub §. 7. usque 9. enumerata remanent, solummodo quoad explorationem in- et externam sequentes sese manifestant modificationes. Latera uteri sunt intumescentia, dura et si cutis non nimis adhuc tensa est, etiam per illam sese ostendit foveola post impressionem digiti remanens, sicuti in aliis partibus oedematosis. Labia orificii uteri et portio vaginalis adparent juxta morbi gradum magis minusve intumescentia. Fluidum hoc in casu non rapide, in majore quantitate nimirum, sed stillatim extruditur, quo etiam fit, ut intumescentia abdominis lentius evanescat.

C. Symptomata hydrometrae hydaticae extra graviditatem.

§. 12.

Serum est in hoc casu in uno aut saepe in multis morbose formatis saccis contentum, qui non raro frequenter internae uteri membranae inhaerent, sunt nonnunquam stillati, nonnunquam multae vesiculae ambitus minoris in uno magno sacco reclusae.

§. 13.

Menstruatio raro silet, sed sicuti solet, adparet, si excipies anomaliam juxta quantitatem et qualitatem et typum; non raro obvenit fluxus sanguinis. Aegra saepe cardialgia, indigestione, nausea, vomituritione, obstipatione alvi, aut aliis morborum vestigiis, qui in alterato systemate nervoso originem petunt, molestatur. Pedes oedematose intumescunt, accedunt dolores, istis ad partum non dissimiles, ac si abortus minaretur;

et jam saepe secundo mense uterus tam expansus adparet, sicuti in verae graviditatis mense nono. Si isti sacci sub motu titilationem admittunt, persentit aegra hunc motum, quem et medicus sub exploratione animadvertitur. Sed tam saepe hi motus ab aegra et ab medico qua motus ab infante causati habentur. Prius aut serius, nonnunquam in mense secundo, saepe sexto, nonnunquam etiam versus graviditatis finem rumpunt istae vesiculae sub sensibile strepitu, et fluidum contentum magis minusve per vaginam extruditur, aut quantitas vesicularum aut stilatarum aut non, liberarum, aut in vesica magna inclusarum ad lucem venit, orificium et vaginam permeantium, cui extrusioni dolores vehementes et frequentes, istis ad partum similes praecedunt et sequuntur, qui non raro spastici sunt et metrorrhagia minoris majorisve momenti comitantur. Non raro nunc demum medicus ad veram diagnosin et hinc ad sui erroris cognitionem pervenit.

II. Symptomata hydrometrae gravidarum.

§. 14.

Fluidum hoc in casu occurrit: aut

1. in uteri substantia aut
2. inter velamenta foetus et internam uteri parietem;
3. in vesica, quae quasi innixa videtur, raro in pluribus, placentae praecipue insidentibus, vesicis contentum.

De sic dicto liquore amnii spurio, in allantoide retento, raro usque ad partum persistente, et de magna et abnormi amnii liquoris quantitate hicce sermo non esse potest, et ulterior casus sub nomine hydropis velamentorum notus est.

§. 15.

Quum vero in ambobus casibus symptomata similia occurrant, non opus censeo, illa specialiter enumerare.

Symptomata sunt sequentia:

Tumor enormis, solito citius increscens, graviditatis periodo non conveniens; ita quidem, ut iste tumor in primis jam mensibus expansionem illam graviditatis versus finem ostendat, formae uteri correspondens.

Hic tumor aequalis est sine praetuberantiis, sicuti in graviditate praecipue gemellorum, ambitus majoris, mollis, nonnunquam fluctuans, si vero uterus ipse morbose adfectus est, et ubi matrix oedematose intumescit, per musculos abdominales relaxatos adparet magis dura, parietes uteri crassae, imo impressio digiti nonnunquam sicuti in oedemate remanens. Hoc cum tumore conjuncta est sensatio doloris obtusi, pressionis, a grave abdomen molestante corpore, causatae. Praecipue in pelvi oriuntur dolores cum extensione uteri proportionales. Orificium uteri, in 4° graviditatis mense normae concors, crassius et durius, remanet tenue, et gravida sicuti et explorans medicus foetus motus ob fluidi quantitatem solummodo debiles aut nullos persentit.

Demum si morbus summum adipiscitur gradum, nonnunquam effluxus fluidi accumulati per vaginam, praecipue in 3° graviditatis mense, periodice serius recurrens, adparet.

Huicce quoque effluxui dolores istis ad partum similes, saepe spastici et symptomata abortum indicantia, praecedunt. Iste effluxus obvenit aut stillatim aut rapide in majore minoreve quantitate. Si istud fluidum inter velamenta foetus et parietem uteri haeret, effluxus aut stillatim aut rapide et copiosior contingere, si vero accumulatio fluidi in textu uteri cellulari est, tunc solummodo stillatim obvenire potest. In ambobus casibus cum effluxu emelioratio intrat symptomatum, ex accumulatione illius fluidi causatorum minuitur abdominis expansio et non raro plane evanescit, et amovetur, quo minus fluidi postea accumulatur, abortus periculum, ita

quidem, ut tali morbo laborans gravida foetum maturum per justas periodos portare, et felicitur ad lucem expellere possit. Nonnunquam vero fluidum usque ad partus tempus reclusum remanet, et sub primis doloribus ad partum et moliminibus gravidae, ante ruptionem velamentorum magno cum strepitu effluit, quo vero in casu verosimiliter fluidum in morbose formatis vesicis haeret.

Idem occurrit, si fluidum in vesicula morbose genita contentum est, aut inter velamenta foetus, inter amnion et chorion aut inter corion et internam uteri parietem.

Hoc in statu facies aegrae intumescit, adspectus est cachecticus, oculi sunt vitrei, hebetes, palpebrae nonnunquam intumescentes, pedes intumescunt jam ab initio, marcescunt extremitates superiores, sicuti corpus omne, mammae sunt flaccae, vacuae, raro tenue, ad nutriendum infantem, inutile lacte repletae. Assimilatio et reproductio saepe ex asse deprovatae.

Diagnosis.

§. 16.

Uno alterique lectori horum symptomatum facile videbitur diagnosim certam et firmam statuendi; tamen non pauci dubitare audebunt, hunc morbum partim ob similitudinem, cum graviditate, partim cum aliis statibus uteri morbosis commutari posse, quod etiam Hippocrate teste antiquissimi et illustrissimi medicorum sententiae: »errare humanum« commemores negare vix ausi fuerint.

Incipit morbus sine dolore aut alio sensu valde molesto, decurrit sic lente, ut aegra raro ab initio medici petat auxilium, donec alia morbosa phoenomena accedant, quibus clara morbi imago turbatur.

§. 17.

Quum itaque imago morbi tam varia juxta statum accidentalem sit, non mihi supervacaneum videbatur, omnia symptomata, quibus diagnosis morbi clara fiat, enumerare. Ut itaque medicus in diagnosi non aberret:

1. Omnia symptomata prius enumerata in qualibet hydrometrae specie colligat.
2. Instituat explorationem ex et internam et quidem per vaginam et anum.
3. Comparet symptomata hujus morbi cum istis similium, et bene capiat differentias.

§. 18.

Ut vero discrepantia symptomatum hydrometrae extra graviditatem et illorum gravidarum, ascitidis, graviditatis ex mola formatae, cancri, polypi et accumulationis liquoris amnii abnormis, clare et distincte cognoscatur, horum statuum singularia innuam, ut ex constellatione illorum singulorum differentia eo melius in oculos veniat.

§. 19.

Quum maxime vero et praecipue commutetur hydrometra extra graviditatem cum graviditate, et quum symptomata illius successive solummodo ingrediantur in individuis jam puberibus, quum fluctuatio parum aut nunquam, neque per externam, neque per internam explorationem, sentiri possit, uti in hydrometra independente, horum statuum commutatio eo facilius intrare potest; accidit adhuc, quod abdomen sese sensim sensimque expandat, et insuper comitantur hunc statum molestiae, quibus foeminae gravidae ordinarie laborant. Hoc in casu solummodo dignatio omnium graviditatis phoenomenum nos certiores reddet, et non saepe et tunc in obscuro piscamur.

Eo majora impedimenta cognitionis occurrunt in hydrometra gravidarum, praecipue si hydrometra praecesserit graviditati, quod juxta multorum experientiam in hydrometra hydatica gravidarum locum habere potest.

Characteristica discrepantia symptomata hydrometrae ab graviditate sunt sequentia:

Expansio abdominis, aut citius aut tardius, ac graviditatis periodo conveniat, contingit, est minus dura et calida ac in graviditate, est magis elastica et aequalis, et modo subito decrescit, quum secus in graviditate expansio juxta mensium decursum increscit.

Nunquam in hydrometra sicuti in graviditate, in regione uteri per explorationem externam adparet corpus durum (caput infantis), quod nonnunquam et externe elevationem format.

Desunt molestiae gravidarum, uti nausea vomituritio, vomitus etc., et si intrant, serius cum incremento morbi intrant, quo tempore solito in graviditate silent.

Mammae sunt flaccae, sine lacte, et fiunt cum incremento morbi flacciores, licet etiam in gravidis mammae flaccae observantur.

Menstruatio aut silet, aut intrat irregularis juxta quantitatem et qualitatem, est aut serosa aut sub forma fluoris albi.

Motus foeti post graviditatis medium non intrant, et fluctuatio ista pro motu non haberi potest, quum secus per explorationem in et externam partes foeti durae animadverti possint.

Tempus a natura partui destinatum praeterlapsum est, quin partus locum habuisset.

Sensus ponderis insidentis in graviditate multo luculentior quam in hydrometra est, hinc etiam incessus in priori casu difficilior; abdomen ipsum in graviditate calidius quam in statu normali, in hydrometra frigidiusculum attactui apparet.

Portio vaginalis in hydrometra est mollior, minus resistit et prius evanescit, quam in graviditate, ubi omnia ista phoenomena cum evolutione foeti pari passu incedunt.

Segmentum uteri inferius est tensum, convexum; et per illud nulla pars foetilis, sed fluctatio certa, sentiri potest.

Cum hydrometra et alia signa hydropica occurrunt, quae in graviditate omnino desunt, et intumescentia pedum solummodo sub fine graviditatis quandoque apparet.

Hydrometra ascitica et parenchymatosa et in foeminis nondum puberibus sicuti et in annis climacteribus aut in sterilibus occurrere possunt, cystica vero solummodo in puberibus et foecundis.

Saepius nonnunquam et typice fluidi effluxus variae conditionis juxta quantitatem et qualitatem, ast semper cum emelioratione molestiarum et diminutione tumoris et expansionis, obvenit.

§. 20.

Nec minus difficile saepe est hydrometram ab ascitide distinguere, et hinc sequentes discrepantias characteristicas enumerare conabor.

In hydrometra tumor incipit in regione symphisis ossium pubium formam uteri retinens; in ascitide tumor jam ab initio majorem abdominis partem occupat.

In hydrometra fluctuatio nunquam tam certe sentiri potest, quam in ascitide.

In hydrometra tumor juxta corporis inclinationem locum variat, sic ut in statu erecto, sensus ac si uterus prolabi tendet, exoriatur; quum in ascitide sub omnibus corporis situationibus tumor aequalis manet.

In hydrometra portio vaginalis evanescit, in ascitide nunquam, in illa effluxus fluidi per vaginam contingit, in hoc nunquam.

In hydrometra aspectus aegrotae nunquam tam morbosus est, ac in ascitide, hydrometra diu durare potest, quin molestiae et affectiones morbosae et in aliis functionibus et systematibus oriantur, quum in ascitide jam ab initio tota vita hebescat, sicuti et intumescentia pedum serius in illa intrat, quam in hac.

§. 21.

Hydrometra, praecipue illa gravidarum, cum abnormi liquoris amnii quantitate commutari possit, ast in illa foetus in medio quasi fluidi invenitur, quum in hoc foetus superficialiter tangatur, licet abdomen magis expansum et mollius sit. Si vero ex- et interna exploratio nil doceret, effluxus fluidi repentinus nos certiores redderet.

§. 22.

Hydrometra gravidarum ab graviditate cum mola, quacum facile confundi possit, differt sequentibus symptomatibus characteristicis:

In hydrometra gravidarum intumescentia, in toto suo ambitu aequaliter est expansa et tensa, adest fluctuatio, abdomen non est dolorificum, gravida secus bene valet, aut valetudo non valde est turbata, nil sanguinis, ast nonnunquam fluidi serosi, erumpit.

In graviditate cum mola nulli sentiuntur foetus motus, expansio uteri, licet nonnunquam repentina, in uteri fundo, ubi mola adhaeret, locum habet, adest nulla fluctuatio, regio ista uteri dolet, aegra hebescit, ex genitalibus saepe sanguis effluit.

§. 23.

Rarius confunditur hydrometra cum cancro uteri, et si confunditur, id solummodo ab initio fieri potest, nam cancer occultus nimis certis insigniis indicatur, quam ut serius commutatio locum habere possit.

§. 24.

Sic etiam nonnunquam hydrometra cum polypo uteri commutatur ob similitudinem symptomatum, id vero solummodo tam diu contingere potest, donec polypus per vaginam in lucem venit, quod, si non in primis mensibus, certe ante graviditatis finem, fit.

§. 25.

Symptomata characteristica iterum itaque enumerare conabor.

Hydrometra extra graviditatem ascitica et parenchymatosa omni vitae periodo vesicularis solummodo in pubertate oriri potest.

Cancer uteri post pubertatem praesertim in annis climactericis inter 40^{mum} aut 50^{mum} vitae annum.

Polypus uteri vero omni vitae periodo occurrit.

Hydrometra in quolibet uteri loco et ejus parenchymate, aut uteri cavo, originem capere potest.

Cancer uteri praecipue in collo et labio orificii posteriore obvenit.

Polypus uteri in fundo, corpore aut collo uteri invenitur. Menstruatio in hydrometra ascitica ex asse silet, ejus locum supplet fluor albus, in parenchymatosa et vesiculari est irregularis.

In uteri cancro menstruatio sumopere est irregularis, effluxus est ichorosus, sanguinolentus; nonnunquam fluor albus copiosissimus foetens.

In polypo uteri menstruatio excedens quantitate, irregularis, metrorrhagiam simulans non periodicam, observatur.

Dolor in hydrometra est trahens, a symphisi ossium pubium et regione lumbali aut valdopere premens.

Dolor in cancro est lancinans in uteri collo, tendens et trahens in regione lumbali, dolores lancinan-

tes augentur sub morbi incremento, et se propagant in regionem iliacam et crura.

Dolor in uteri polypo est premens, et trahens in regione lumbali.

Intumescentia abdominis in hydrometra adparet juxta morbi gradum nunc minor, nunc major, uteri formam aemulans et attactui frigidiuscula.

Intumescentia in uteri cancro est parva, pars uteri dura per attactum sensibilis, et solito calidior.

In polypo uteri abdomen est impletum, dolorificum et calidius.

Portio vaginalis in hydrometra ascitica et hydatica est longior, mollior, in majori morbi gradu tensior, evanescens et expansa, in parenchymatosa intumescens et duriuscula.

In cancro uteri portio vaginalis aut in toto ambitu, aut partim est dura, in aliis regionibus intumescens, demum ulcerosa, magis minusve exesá, cum excrescentiis spongiosis et nodis duris, in cavum uteri colli sese propagantibus, insita.

In uteri polypo portio vaginalis sensim sensimque fit brevior, crassior et durior, ast ambitu ditior.

Orificium in hydrometra aut minus aut magis est apertum et rotundum, aut reclusum rimae simile.

In cancro vero orificium est inscissum, irregulare et semiapertum, post pressionem per digitum fluidum saniosum, sanguinolentum erumpit.

In polypo orificium sensim sensimque se aperit.

Labia orificii in hydrometra ascitica et hydatica, nec magis intumescunt, nec indurescunt; sed sunt frigidiuscula, in parenchymatosa intumescunt; ast sunt sine dolore.

In cancro labium posterius prius jam durescit, inaequale, tuberculosum fit, quod serius etiam in anteriori evenit, ab initio sine, serius multo cum dolore fugaci lancinante; attactui adparet durum et tuberosum.

In polypo labia non mutantur.

In hydrometra effluxus est seroso limpidus, seroso limphaticus, gelatinosus, sanguinolentus et purulentus periodice per vaginam contingens.

In cancro effluxus est ichorosus, foetens, cum convolutis ex sanguine commixtus, continuus.

In polypo effluxus est sanguinolentus, sub forma saepe metrorrhagiae, sanguis modo est bene tinctus, ruber, modo nigri, modo brunei coloris, modo aquosus, cum floccis aut fibris, foetens, modo cum coagulis sanguinis foetentis mixtus, saepe sanguinis loco fluidum serosomucosum stillatim ast continuo erumpit.

In hydrometra ascitica fluctuatio semper, in vesiculari non semper, in parenchymatosa raro adest.

In cancro fluctuatio nulla, imo in profundo pars dura sentitur.

In polypo animadvertimus corpus elasticum, magis minusve molle, spongiosum, imo duriusculum.

Facies aegrae est in hydrometra cachectica intumescens.

In cancro facies characteristice lividius et collapsus.

In polypo facies ab initio non adparet mutatus, sub morbi incremento vero fit cachecticus, cum certa dolenti physionomia.

Aetiologia.

§. 26.

Hic tam raro obveniens morbus originem haurit.

1. proxime sicuti quilibet, in accumulatione seri morbosa, consistens morbus ex disharmonia inter exhalationem et resorptionem, ita quidem, ut mox functio exhalationis, mox resorptio, mox effluxus accumulati a limite divergat, sic videmus quoque, quod in hydrometra extra graviditatem exhalatio, in illa gravidarum resorptio morbosa praevaleat.

Causatur vero exhalatio nimia, post inflammationem uteri, post repentinam menstrui, aut fluoris albi, aut haemorrhoidum suppressionem; in sequela partuum immaturarum, et per irritamentum locale excrescentiarum in utero, post onaniam frequentem, aut sicuti Ruysch observavit, per remanentes placentae partes. Nonnunquam et ruptura vasorum lymphaticorum hujus status causa, sic saltem Stark enumerat casum, ubi ex ruptura vasorum lymphaticorum uteri abdomen tam ad ingentem increverit molem, ut aegra jam tertia hora post mortua sit.

Resorptio morbosa vero contingit ex causis, quae actionem vasorum resorptionis aut mechanice, aut dynamice turbant.

Ad causas mechanice turbantes numerantur defectus organici; uti sarcoma, induratio et scirrhus uteri, polypi, excrescentiae et tumores, quae vasa lymphatica mechanice opprimunt.

Ad causas dynamice turbantes numerabis aut illas, quae aut hydropem in genere, aut illam uteri in specie gignunt, uti sunt: metrorrhagiae, abortus frequentes etc. Forsan nonnunquam et qualitas secreti talis est, ut resorptio fiat manca.

Effluxum accumulati vero impediunt:

Concretio colli uteri primogenita, aut ex inflammatione, orificium per membranam, per mucum, in fluore albo, per polypos aut alias pseudomorphoses clausum etc.

Hydrometra gravidarum sicuta illa extra graviditatem in morbosa exhalatione, resorptione, aut effluxu impedito originem petit, solummodo id attendendum, quod saepissime hoc in casu exhalatio morbosa inveniatur, quae iterum, ex inflammatione uteri chronica, tam saepe praetervisa, causatur. Haec inflammatio tam clandestine intrat, ut non raro illam ex in hydrometram exitu medicus cognoscat. Non raro vero exhalatio ista

abnormis ex metastasi alius morbi, aut congestionibus ad uterum, quae in acuta hujus organi vitalitate originem petunt, contingit.

Resorptio morbosa contingit solummodo tunc, si debilitas et affectio morbosa in systemate lymphatico occurrit, hinc videmus illam formam praecipue in foeminis scrophulosis, cachecticis, obstructione glandularum meseraicarum, scabie, aut aliis impetiginibus, fluore albo, syphilide etc. laborantibus.

Momenta, quae adhuc huicce statui fovent, sunt: Demoratio in aura humida, praesertim sub certa vitae ratione; tempora anni humida, nutrimentorum defectus aut depravatio, ratio vitae sessilis, pigra, animi pathemata deprimentia etc.

Nonnunquam hydrometra gravidarum effectus est steatomatis uteri, aut pressionis vasorum membranae uteri internae ex foetu causatae, quo fit, ut exhalatio nimia fluidi serosi inter velamenta et parietem uteri internam contingat.

Prognosis.

§. 27.

Quanquam hydrometra extra graviditatem vitae non tam perniciosa sit, sicuti fluidi accumulatio in aliis cavis, sicuti in hydrothorace, ascitide, aut Hydrocephalo, quamquam aegra hoc morbo laborans diu sine ulla valetudinis turbatione existere possit, quae turbatio solummodo intrat, si fluidi accumulatio majorem contingat gradum, qua uterus nimium expanditur, tamen prognosis hac in morbi specie non alia nisi dubia esse potest, quum effectus therapiae tam sit incertus, et paracentesis licet nonnunquam unicum remedium aegrae vitam donans, et facile instituenda, non appodictice sanet, imo in tot casibus, ob uterum degeneratum,

ob excrescentias scirrhosas, cancrosas, non institui possit.

Spes hydrometrae extra graviditatem sanandae nos arridebit, si duratio morbi brevis, origo non ex alio morbo, et valetudo omnis non multum aut parum participat; si affectio solummodo localis, si tumor non inaequalis et tuberosus, aut dolorificus, si fluctuatio luculenta, ambitus intumescentiae abdominis adhuc parvus est, et si serum periodice parvis cum intervallis per vaginam extruditur, quo facto intumescentia abdominis semper evanescit, aut si influxus adparent fortuiti, qui aut accumulationem seri impediunt, aut actionem resorptionis augent, tandem si aegra praecepta prudentis medici bene obsequitur. Sic Fabre vidit casum, ubi hydrometra post salivationem intrantem sanata fuerit, Muralto, ubi effluxus seri per ulcus in abdomine contigerit.

Hydrometra independens saepius radicaliter sanatur, si effluxus saepe contingit.

Infaustior prognosis in hydrometra cellulosa extra graviditatem adparet, quum hoc in casu substantia uteri ipsa morbosa afficitur, et conjunctio cum aliis hydropis speciebus intrat.

Infausta vero prognosis est, si momenta supra memorata faventia desunt, si morbus jam diu, aut si brevi tempore ante exortus, ex scirrho, cancro, tumoribus, aut induratione, quae amoveri non possunt, causatur, si valetudo omnis jam ab initio affecta est, si tumor tuberosus, inaequalis, dolorosus, magni ambitus, si fluctuatio non bene perspicua, si raro aut parum aut nil seri effluit, si dejectio virium et emaciatio summa accedit, et urina parce et raro deponitur.

Spes vero nulla locum habere potest, si febris hectica cum symptomatibus alius hydropis speciei, praesertim cum illis hydrothoracis et ascitidis adparet, aut vomitus et asthma accedunt, quo non raro uterus rum-

pit, et sic suum contentum abdominis cavo communicat.

Conceptionis facultatem quod attinet, dubium non esse potest, tales aegras concipere, finem graviditatis attingere et infantem maturum et sanum parturiri posse. Imo non raro post partum hydrometra evanescit.

Prognosis in hydrometra gravidarum, si accumulatio seri non magno in gradu locum habet, et non aliae complicationes nocivae conjunctae sunt, non infausta est, imo lucet spes, partum infantis et placentae normali modo contingere, et hydrometram post partum evanescere.

Sub graviditate vero hydrometra vix sanari potest, quum per majorem ad uterum locum habentem sanguinis affluxum et per alios ex graviditate originem petentes influxus sustentatur.

Periculosa vero hydrometra gravidarum est, si hujus status causa turbationes in organisatione uteri sunt, si intumescentia partium externarum accedunt, aut si ante finem graviditatis febris hectica, cum suis adparet symptomatibus, aut si uterus ob nimiam extensionem rumpit, et contentum in abdominis cavum transit, et sic aegra sub symptomatibus extravasati in abdominis cavum, et amissionis sanguinis internae supremum obit diem.

Hydrometra gravidarum independens, minus matri, quam infanti, periculum ostendit, saepius, post effluxum seri, abortus causa est, et foetus parce solummodo nutritur, non raro mortuus ad lucem pellitur.

Minus periculi adest, si accumulatio seri inter ovi velamenta locum habet, serum periodice effluit, et exinde expansio abdominis minor fit.

Prognosis hydrometrae gravidarum cellularis cum illa hydrometrae extra graviditatem coincidit.

Infantes vero, sub his circumstantiis provenientes, sunt minores, emaciati, et raro diu post partum vivunt.

Si expansio abdominis fuerat enormis, post partum facile metrorrhagiae intrant, quum uterus non tam cito et violenter sese contrahere possit, et partus ob infantem tam parvum sit precox. Semper vero dolores post partum dui durant et sunt vehementes.

Duratio.

§. 28.

Hydrometra extra graviditatem saepissime lente decurrit, ita, ut multos annos durare possit, imo non raro aegram usque ad senectutem et mortem sequatur, et sic, licet methodus medici prudens, cura cognatorum fidelis, et aegrae observatio praeceptorum omnium strenua locum haberet, summum adipiscatur gradum et mortis causa fiat.

Sic mihi illustris Med. Doct. et Professor in nostra alma universitate Max. Schmidt mihi narravit casum, ubi hortulana, Vienna vivens 63 annorum, per 24 annos hoc malo laborat, quae, quum periodice serum effluat, bene se habet, et omnia sua officia domestica explet.

Raro cyclus morbi intra nonnullos menses clauditur, saepe morbus exit ex ruptione uteri in mortem, et saepissime decursus est chronicus.

Exitus.

§. 29.

Exitus hujus morbi sunt:

1. In sanitatem per aptam therapiam, aut vis vitalis reactionem ita, ut post effluxum seri harmonia inter secretionem et resorptionem intret, licet hic casus optandus raro obveniat, non solum sine ullo medici auxilio, sed etiam sub prudentissima et adaequata medendi methodo.

2. In mortem, si nimirum *a)* fluidum per orificium et vaginam abire nequit, et disharmonia inter exhalationem et resorptionem perstante magis magisque seri accumuletur, nimie expanditur uterus, donec rumpit, quo necessario mors sequitur.

b) vires vitales ob nimiam fluidi deperditionem debilitantur et exhauriuntur, praesertim si tota vita et hinc digestio morbose affectae sunt, intrat emaciatio, febris hectica, et exinde mors.

c) per morbos infra memoratos ex hydrometra secutos.

3. In alios morbos et quidem:

a) licet raro, in abdomine fit abscessus, ex quo mox status ulcerosus et fistulosus oritur, ex quo se sensim sensimque labes evolvit, in cujus sequela mors.

b) in ossificationes, indurationem, degenerationem, scirrhum, cancrum uteri.

c) in hydropem universalem, in ascitidem, hydrothoracem, hydrovarion.

d) in tabem universalem.

4. In praematuram menstruationis silentiam.

5. In hydrometra gravidarum in debiles dolores adpartum in tertia et 4ta et 5ta partus periodo ob parvam et lentam contractionis facultatem, quo fit, ut placenta non solvatur ab utero, et metrorrhagiae passivae contingant.

Necroscopia.

§. 30.

In sectionibus tali morbo defunctarum invenimus praeter nonnunquam immensam seri quantitatem in uteri cavo vel in illius substantia aut hydatides in majori minorive quantitate et magnitudine, ubi non raro uteri substantia chartae tenuitatem aequat, etiam destructiones organicas, quae sine dubio, uti hydrops uteri ipsa,

sequelae inflammationis hujus organi sunt; hucce pertinent: induratio, degeneratio, scirrhus, cancer uteri, ossificationes fibrarum muscularium uteri, indurationes et solutiones parenchymatis, orificium callosum, contractum, per membranas morbose formatas reclusum, concretionem uteri cum vicinis organis, hydrovarium unius, saepissime sinistri, nonnunquam utriusque ovarii.

In hydrometra gravidarum defunctis invenimus, exceptis mutationibus, massae organicae supra jam denotatis, foetum destructum permagnae aquae quantitati innatantem, a quo mox dentes, mox tibia crinibus involuta, mox capitis vestigia etc. in conspectum venerunt; quod praeparatum cum descriptione in almae nostrae Universitatis museo, a supra nominato D. D. Schmidt immissum est.

Therapia.

§. 31.

Sanationi in hydrometra extra graviditatem et gravidarum non parum impedimentorum sese opponit, et indicationes, quae hoc in morbo sicuti in qualibet hydrope locum habent sunt sequentes:

1. Causa, si fieri potest, amoveatur,
2. Fluidum per aptas vias evacuetur,
3. Caveatur, ne iterum fluidum sese accumulet.

1. Causam vero amovere, quum medicus nunquam aut raro in morbi initio vocatur, et si vocaretur, difficilis diagnosis, morbum cognoscere, ludat, inter pia medici vota manebit. Hinc medico nil aliud faciendum erit, nisi causam in actione posteriore paralysare, momenta, quae morbum fovent; aut causas nocivas accidentales praecavere, hinc commorationem in domiciliis humidis, madidis, nutrimentum depravatum, animi pathemata deprimentia, vitae rationem sedilem etc. emendare.

Nonnunquam tamen nobis possibile erit, primae indicationi satisfacere, et quidem:

a) Si hydrometra extra graviditatem ex suppressione menstrui, haemorrhoidum, vel fluoris albi exortum, traxerit. Hoc in casu primarium erit medici; secretiones istas, aut naturales, aut morbosas, revocare.

b) Si impedimenta mechanica effluxum seri, normaliter in uteri secreti impediunt ex gr. concretio et reclusio orificii uteri per membranam morbose formatam, aut per muci aut lymphae convolutum, ad quod malum rebellandum, chirurgia auxilio vocanda erit.

c) Si hydrometra ex causis illis exorta est, quae statum systematis vasorum resorbentium inertem et difficile irritabilem clarefaciunt, et saepissime vitiosa vitae ratione originem hauriunt, et quidem ex nutrimento depravato, domicilio humido etc. Hos influxus nocivos medicus amovere studebit.

d) Si morbi organici, uti induratio, scirrhus etc. uteri aut organorum vicinorum causa sunt; quo in casu, quantum fieri potest, medicus per resolventia, uti gummi amoniae, sapo, Conium maculatum, digital, belladonna et mercurialia, interne et externe adhibita, mala minuere, si non eliminare, conabitur.

e) Si hydrometra per chronicam uteri inflammationem gignitur, et sustentatur, cui methodus antiphlogistica, uti balnea, hirudines, cataplasmata, potus emollientes, praecipue vero mercurialia, interne et externe adhibita, opponuntur.

2. Secundae indicationi, nimirum evacuationi fluidi accumulati, satisfacimus sequentibus modis, quum causa accumulationis varia quoque remedia expostulet. Si nimia exhalatio hydrometram extra graviditatem gignit, remedia illa indicata sunt, quae resorptionem materiae lymphaticae in utero accumulato fovent, huc pertinent: Antimonialia, praesertim tartarus emeticus in refracta dosi, Mercurialia, digitalis, cre-

mor tartari, oxymel squillitic., extract. aloës, externe inunctiones cum ung. mercuriali, liniment, saponato camph. linimentum volatil etc. fumigationes aromaticae, involucra abdominis fumigata cum bacc. junip., Lauri, Myrrha, Mastiche, camphor. etc.

Non raro et diuretica, diaphoretica et purgantia bono cum effectu porriguntur, non solum saepe fluidum evacuant, sed et statum uteri vitalem emendant, et iteratam fluidi accumulationem praecavent, sic illa prius memorata a D. D. Schmidt tractata hortulana, quando abdomen quidquam expansum animadvertitur, sumit suum Inf. fol. Digit. ex scrupl. j parat. cum cremor. tartar. scrupl. j et syrup. ononid. spinos., qua mixtura, raro bis repetita, effluxum adipiscitur.

Si vero hydrops uteri ex statu fere paralytico vasorum resorbentium in utero progreditur; tunc methodus, systema lymphaticum irritans et roborans, locum habet, hinc Mercurialia, rad. Polygal. Seneg. Digit. purp. Squilla, ononis spinosa; Baccae Juniperi, et ea praeparata, una cum tonicis, praecipue cum extractis amaris, externe ung. hydrargyr. ciner. inunctiones aethereo oleosae, ex Squilla cum oleo therebinth. et aeth. therebinth. lotiones abdominis cum liquoribus spirituosis, involucra abdominis in spirituosa tincta, nec non ex infus. aromatic. indicata sunt.

Non raro effluxus fluidi ob obturationem uteri, colli aut orificii, per muci lymphae aut sanguinis coagulum, aut per spasmum uteri impeditur; huicce statui obveniunt: balnea tepida universalia, vapores ad genitalia, injectiones emollientes, tepidae praesertim cum oleo Amygdal. d. aut lacte vaccae, ast sub summa attentione, ne refrigeratio partium genitalium locum habeat; interne antispasmodica, leniter narcotica remedia. Forsan et remedium emeticum hoc in casu bono cum affectu porrigeretur, cum emesi uteri reactio augeatur, qua hoc impedimentum mechanicum amovetur,

ast hicce bene attendum esset, an non expansio abdominis nimia esset, nam sub tali uteri conditione facile hocce modo ruptura uteri provocaretur.

Si vero atresia colli aut orifici causa retentionis in uteri cavo accumulati fluidi esset, tunc unicum remedium est operatio, et quidem punctio uteri. Bene vero attendendum est, hanc operationem non semper sine periculo institui, quum per adplicationem catedris facile via falsa perforatur, per adplicationem acus triquetrae rotundae flexae vasa varicosa orificii et colli, quae tam saepe in hoc morbo adsunt, tricuspide laedi. Eheu, licet raro, tamen adsunt exempla, ubi serum post institutam operationem citius et frequentius accumulabatur, et aegra eo citius tabe universali morbo succubuit.

Indicatio operationis intrat:

Si certa diagnosi hydrometra independens extra gravidatem fluctuatione tam perspicua et tali enormi abdominis exspansione incidat, ut ruptura uteri timenda esset, et si effluxus seri ob orificii aut colli atresiam aut obtrusionem per lymphae aut muci coagulum, aut per membranam morbose formatam causatur, aut si in hydrometra independente extra graviditatem alii vitae periculum minantes status morbosi accedant.

Indicatio ad operationem in hydrometra hydatica extra graviditatem solummodo tunc locum habere potest, si nos certiores facti sumus, unam solummodo vesicam utero inhaerere, quod certe, perquam difficile, est cognoscere.

Contra indicationes sunt:

Hydrometra cellularis extra graviditatem; hydrometra gravidarum cujuscunque generis et in hydrometra

independenti extra graviditatem, si inflammatio, induratio, scirrhus aut cancer colli aut orificii adessent.

Tendentia operationis est evacuatio contenti.

Praeparatio ad operationem.

Quum periculum rupturae uteri non tam cito intret, raro necessarium erit, hanc operationem nocturno tempore instituere, hinc sibi medicus omnia animantia foventem diem eligat, et praesertim tempus matutinum, cum illo tempore et medicus et aegra jejuni ad operationem maxime idonei sint, domicilium, si fieri potest, sit clarum, amoveantur omnes non utiles et hinc operandam molestantes circumstantes, medicus forsan timentem aegram confirmans, operationem sine periculo et sine dolore esse, consoletur, aegra sumat situationem in lecto transversam, a medicis obstetriciis in suis operationibus tam saepe amatam, et teneantur (fixentur) per assistentes, quorum locum et cognati firmiores et audaciores supplere possunt, corpus et extremitates; medicus quoque omnia remedia contra animi deliquium, spasmos et haemorrhagias parata habeat.

Operator locum intra operandae crura tenet.

Instrumenta ad hanc operationem non alia necessaria sunt, nisi catheder virilis (nam raro digitus, aut cereola, agaricus chirurgicus pressus sufficient) aut acus triquetra rotunda juxta pelvis curvationem flexa, cujus locum acus triquetra rotunda flexa ad punctionem vesicae urinariae per anum destinata supplere potest.

Ligamentum solum est cingulum abdominale, sicuti P. Hager post paracenthesin abdominis in libro suo de operationibus commemorat.

Operatio.

Cingulum abdominale sicuti in ascitide ligatur et adhibeatur. Operator sinistrum digitum indicem cum suo

plano volare autrorsum versum usque ad orificium, cum dextra manu cathedrum argenteum virilem, ope inducti digiti, etiam usque ad orificium inducit, et illum sine ulla vi, per orificium in uteri cavum imprimere studeat. Haec vero operatio, si non contingeret, eodem modo inducat acum triquetram rotundam flexam, tali modo tenendam, ut pollex parti instrumenti concavi correspondeat, digitus vero index inter retinaculum canulae et manubrium tricuspidis ponatur, et quidem exinde, ut tota acus tricuspidis tamdiu in canula reclusa maneat, donec canula in digito inducto usque ad orificium perveniat, quo facto leni modo acus tricuspidis juxta lineam directionis per orificium in uteri cavum ast caute promovetur, et tricuspis, qui aliquantulum adhuc remaneat, ex canula extrahatur.

Aquam caute effluere sinas, ne unquam subito, sed lente et cum intervallis, ut uterus se contrahendi tempus habeat, nam secus metrorrhagia aut paralysis hujus organi sequela esse possent.

Cura post operationem.

Si canula remota, fluidum evacuatum est, in orificium, ut ejus atresia caveatur, candela cerea aut elastica, aut si adhuc serum efflueret, catheder elasticus, ut de novo secretum effluere possit, inducatur.

Si vero evacuatio seri per orificium propter hujus degenerationem etc. non institui posset, operatio fiat per anum aut externe in una alterave abdominis supra symphisim ossium pubium parte ope acus triquetrae rotundae flexae, quae vero operandi methodus, si postea accumulatio seri iterum locum haberet, reiteranda esset, sic saltem Siebold hanc operationis methodum ter sed bono cum effectu instituit.

Juxta arbitrium nonnullorum in hydrometra vesiculari extra graviditatem, quae vesiculae saepissimae fundo uteri inhaerent, et hinc difficile adeundae sunt,

orificium vi aperire, et vesicas dislacerare; in praxi vix exsequi potest.

Nam saepissime istae hydatides ipsa natura sub forma partus expelluntur, hinc hoc in casu solummodo isti vehementes saepe locum habentes dolores antispasticis, quae ars obstetricia docet, mitigentur, et orificium, si non natura, arte aptis remediis amplificetur. Praecipue vero attendendum est, an omnes hydatides, et etiam sacci ruptarum expellantur, nam secus non tantum metrorrhagia non silet, sed et accumulatio seri facile recurrit. Hoc in casu nonnunquam necessarium erit, hydatides et saccos illorum artificialiter extrahere.

In hydrometra indepedente gravidarum status graviditatis, nil agere permittit, nisi inunctiones abdominis cum unguentis aromaticis, aut spirituosis. Saepissime cum partu hujus morbi forma evanescit. Solummodo id perpendat medicus, quod in partu et post partum sub tali conditione, et praecipue propter nimiam abdominis et uteri expansionem facile metrorrhagiae intrent, et hinc talia porrigat remedia, quae contractionem uteri fovent, et post fluxum lochialem remedia tonica, hinc cingulum aromaticum, innunctiones spirituosas, instituat injectiones tonicas et modice adstringentes.

Ab omnibus vero remediis diureticis et drasticis medicus in hydrometra gravidarum abstineat, et si necessaria essent, summa cum cautela porrigantur. Nam in hisce omnibus remediis principium acre aut oleosum aethericum contentum est, quo facile congestiones ad uterum, imo et abortus, causantur. Ideo medicus, si serum periodice effluit, et hinc expansio uteri non excedit, nil agat. Si vero hoc non continget, eligat blanda actionem systematis lymphatici irritantia remedia, huc spectant; baccae et lignum Juniperi, Petroselina, Enula, Cerefolium, Foeniculum,

ononis spinosa, Senega etc. Digitalem et squillam autem aut nunquam, aut cautissime porrigat, nam facile vomitum, turbationes digestionis, et nocivum in systema uterinum exerunt effectum. Cum supra memoratis blandis diureticis conjugantur blanda diaphoretica, uti flores Sambuci et Spirit. Mindereri etc. Abdomen involvatur panno laneo tenuiori, et si expansio illius nimia, cingulo; praeterea gravidae corporis motus in aëre puro, nutrimenta bene et facile digestricia et alvi depositiones pultaceae, si deessent, per clysmata ciendae recomandentur.

Cachexiae, impetigines, morbus scrophulosus et venereus, si causa hydrometrae essent, rite sunt dignandi.

Tertiae vero indicationi satisfacturi in hydrometra extra graviditatem continuemus remedia blanda supra memorata, postea in connexu cum roborantibus; recommandemus aegrae adhuc diaetam et vitae rationem correspondentem, externe innunctiones istas aromaticas et spirituosas, sicuti injectiones Decoctorum adstringentium, roborantium, aromaticorum, vel eligamus injectiones ex aqua Calcis cum Myrrha, aut ex vino rubro.

In hydrometra vero gravidarum, si debilitas systematis sexualis aut totius corporis accumulationis recidivae esset, blanda remedia diuretica conjuncta cum illis reproductionis actionem reborantibus, ex g. cum herb. trifol. fibrin., rad. Gentian, Ligno Quassiae cum suis extractis; cortice Cinamomi, chinae, et ferro indicata essent. Si remoratio in domicilio humido causa esset, si fieri potest, haec esset vitanda, nutrimentorum inopia exigeret ciborum et potulentorum bonorum adquiritionem, vitae conditio sessilis commutetur cum corporis motu, animi pathemata deprimentia cum errigentibus. Topici vero uteri morbi, uti steatoma, cancer etc.

sub graviditate vix tolli possunt, hinc et accumulationem praecavere inter pia vota manebit.

Licet vero hydrometra gravidarum post partum quam saepissime evanescat, tamen caute atque prudenter actum erit, si praecautiones diaetaeticae et remedia roborantia, justa cum causae originis dignatione continuaretur.

Literatura.

Arstruc's Frauenzimmerkrankheiten. 3. Thl. S. 284.
Bilfinger G. B., de hydrope uteri gravidi disput. Tubing. 1761.
Bischoff J. R., chronische Krankheiten. 1. Bd. S. 172. 1830.
Camerarius Cl., diss. de hydrope uteri. Tub. 1729.
Camper P., über die Natur, Ursache und Behandlung der verschiedenen Arten der hydrops, in der Sammlung auserlesener Abhandlungen für practische Aerzte.
Cousin, Dissertation chirurgico-medicale sur le traitement de l'hydropisie de matrice accompagnée d'inflammation dans l'etat de grossesse à Paris 1783.
Cunrad Chr. et Franz Starke, de hydrope uteri Regium 1702 in Halleri disp. pathol. tom. 4. Nr. 134.
Dömling, Geschichte und Heilung einer Gebärmutter-Wassersucht, im 5ten Bande von Horn's Archiv für die medizinische Erfahrung. S. 14. Berlin 1804.
Dreyssig diagnostische Tabellen der Medicin. 1803. 2. Thl. Erf.
Gregorini de D., de hydrope uteri et de hydatidibus in utero visis aut ab eo exclusis c. tab. aenea. Halae 1795.
Haase, chronische Krankheiten. 1820. 3. Thl. S. 401.
Hippocrates, de mulierum morbis. Lib. 1. Cap. VI.
Jörg J. Chr., Vienn. 1831.
Kommer, praes. Grunner de hydrometra. Jenae 1792.
Mende, de morb. foeminarum. tom. 2. pag. 194.
Raimann, pathol. et therap. specialis.
Richter G. Aug., allgem. und specielle Pathologie u. Therapie. 1829. 3. Thl. pag. 110.
Ruyschius observat. anat. Chirurg. Nr. 28. pag. 25 et 828.
Schoenstein G. L., allg. u. specielle Pathol. u. Therapie. 1837.
Schwarzer C., Geburtshülfe. 1838. 2. Bd. S. 49.
Siebold de A. E., Erkenntniss und Heilung der Frauenzimmerkrankheiten. 1821.
Sigwart, diss. de hydrope uteri gravidi. Tub. 1761.
Stark J. Chr., Handb. zur Erkenntniss und Heilung innerer Krankheiten des menschlichen Körpers. Thl. 2. Jena 1800.
Wirer in Loder's Journal für Chirurgie, Geburtshülfe und gerichtliche Arzneykunde. 4. Bd. 2. St.
Wrisberg, commentat. Soc. Reg. Scient. Goetting. ann. 1787—1788. Vol. 9. pag. 136.

Theses defendendae.

1. Exstirpatio uteri in hydrometra nunquam est indicata.
2. Punctio uteri in hydrometra non est specificum remedium.
3. Nullum sanatur ulcus, ni in suppurationem vertitur.
4. Tractamine solum pharmaceutico non sanatur scrophulosis.
5. Sanatio aegri absque propria ipsius voluntate non promoveri potest.
6. Pharmacis sine congrua diaeta nullus sanatur aeger.
7. Hymenis praesentia non est signum infallabile virginitatis illaesae.
8. Consilium medicum in omni casu obstetricio ambiguo summe necessarium.
9. Methodus exspectatoria plerumque optima in obstetricia.
10. Medici habitus externus atque cultura sint amoeni.
11. In nostalgia nullum remedium specificum, nisi ad suos redeundi licentia.
12. Turpissimum matris sanae crimen et respectu in foeminarum officia, et in rempublicam est, si neonato nutrimentum primum, a natura ipsa, illi assignatum, denegat.
13. Operationes odontologicae in dedecus chirurgiae maximopere negliguntur; etenim non tantum frequentissime, sed etiam, si ophthalmijatriam excipias gravissimae nec non gravibus sequelis stipatae sunt.